

cipiamus vel per fidem, vel per Eucharistiam. «Bethlehem quippe, ait, domum panis, Juda sonat confessionem. Tu ergo si divini verbi pabulo repleas animam tuam, fideliterque, etsi non digna, certe quanta potes devotione suscipias panem illum qui de caelo descendit, et dat vitam mundo, Dominicum videlicet corpus Jesu, ut veterem utrum corporis tui nova illa resurrectionis caro reficiat et sustineat, quatenus novum quod intus est vinum, hoc solidatum glutino, valeat continere : si denique ex fide vivas, et nequam genere oporteat, quia oblitus sis comedere panem tuum; Bethlehem factus es, dignum quam susceptione Dominica, si tamen confessio non defuerit. Sit proinde Judaea sanctificatio tua: confessionem et decorem induere, quo maxime stolum in ministris suis Christus appetat.»

EGRESSUS EJUS AD INITIO A DIEBUS AETERNITATIS. — «Egressus» est numeri pluralis; hebraice enim est מוצאות *moctaoth*, id est egressiones. Unde Septuaginta vertunt, ἔξοδος; Valabius, emanationes ejus. Rursus pro ab initio a diebus aeternitatis, Hebraea et Septuaginta habent, ab initio a diebus saeculi. Hinc triplex est hic interpretum explicatio, juxta triplicem Christi egressionem. PRIMA enim est temporalis; SECUNDA est aeterna; TERTIA partim temporalis, partim aeterna.

Egressus
Christi
triplex.
Primus.

PRIMO ergo Rabbini recentiores, qui negant Christi aeternitatem et divinitatem, egressiones has sic exponunt, q. d. Christus non tantum egredietur cum nascetur in Bethlehem, sed jam inde a Davide, ab Abraham, imo ab Adam egressus, et quasi natus est, tum quia ex iis descendit, et in eorum lumbis ac virtute generativa latebat atque continebatur; quomodo Apostolus, Hebr. vii, 9, ait Levi, antequam nasceretur, decimatum esse in lumbis Abraham; tum quia eos quasi duces suos praemisit, qui populum suum Israel in cultu Dei erudirent et continerent, eumque contra hostes infideles tuerentur et propugnarent. Huc accedit expositio S. Cyrilli, qui egressiones in plurali dicit censet, quia Christus homo bis egressus est: PRIMO, cum venit in mundum per incarnationem; SECUNDO, cum post mortem e mundo egressus est, et ascendit in caelum. Utramque significat ipse Joan. xvi, 28: «Exivi a Patre, et veni in mundum: iterum relinquendum mundum, et vado ad Patrem:» utraque est a diebus aeternitatis; quia utraque ab aeterno decreta et praedestinata est a Deo. Huc pertinet aliorum explicatio, qui per egressiones accipiunt varias Christi hominis expeditiones et excursiones, quas contra diabolum pro salute hominum suscepit. PRIMA fuit, qua humanitatem nostram induit. SECUNDA, qua magos et pastores ad se traxit et convertit. TERTIA, qua peragrans Judaeam et Galileam, multos in corpore et anima salvavit. QUARTA, qua in cruce pro redemptione hominum ascendit. QUINTA, qua resurgens ad vitam rediit, mortemque destruxit. SEXTA, qua ascendens in caelum illud nobis patefecit, indeque

misit Spiritum Sanctum. Haec omnes expeditiones fuerunt a diebus aeternitatis, quia ab aeterno decreta.

SECUNDO, Arias et a Castro hic, quibus favent S. Hieronymus ac R. Haeccados apud Galatinum, lib. IV, cap. xiii, per egressiones has accipiunt duas Christi natiuitates, puta temporalem ex Virgine in Bethlehem, et aeternam ex Deo Patre in caelis. Unde R. Haeccados per ab initio, id est ab aeterno, putat notari aeternam Christi generationem; sed per ab a diebus saeculi, temporalem, qua nimirum ab initio mundi in lumbis Adae creatus, et quasi natus est. Ex adverso, melius alii per ab initio accipiunt temporalem Christi apparitionem, non tantum qua apparuit in carne, sed etiam qua visus est patribus, quibus promissus est; et Prophetis, per quorum ora ipse, ut pote Verbum Dei, locutus est: sed per a diebus aeternitatis, accipiunt aeternam ejusdem a Patre generationem.

TERTIO, alii haec accipiunt de sola aeterna Christi a Patre emanatione et nativitate. Haec expositio est certa et communis Patrum et Doctorum, ideoque amplectenda. Probatur PRIMO, quia de temporali Christi natiuitate paulo ante dixit Propheta: «Ex te (o Bethlehem) mihi egredietur, qui sit dominator in Israel.» Ergo cum addit: «Et egressus ejus ab initio a diebus aeternitatis,» agit de aeterna, q. d. Christus egredietur et nascetur in Bethlehem; at, ne putes eum tantum hominem fore, tuncque primo egressurum, cum homo apparebit in Bethlehem, addo et dico jam ante ab aeterno eum egressum esse ex Patre, cum ab eo genitus est Deus, Patri coaevus et consubstantialis. Cur enim temporalem egressionem repeteret hic Propheta, cum tam clare eam ante expresserit?

SECUNDO, a diebus aeternitatis plane significat hic de aeterna Christi generatione agi, non de temporali. Dices: Hebraice est a diebus עולם *olam*, id est saeculi. Respondeo: *Olam* sive saeculum absconditum, a radice עולם *olam*, id est absconditum, hebraice significat aeternitatem, que omnibus abscondita est et impenetrabilis, cum scribitur per vos, sicut hic scribitur, ut doceant Rabbini, nisi addatur particula aliqua restringens, que cogat illud explicare et interpretari tempus longissimum. Hic autem nihil tale additur, imo additur ab initio, quod junctum cum *diebus olam*, planam plenamque significat aeternitatem, ut mox ostendamus. Unde Chaldaeus vertit: *Cujus nomen dicitur est ab aeternitate, a diebus saeculi*; Tigrina, sive Leo Hebraeus: *Exitus ejus a saeculo, a diebus aeternis*. Ita et Rabbini apud Galatinum loco citato. Denique omnes orthodoxi fatentur hic de vera aeternitate agi; licet aliqui aeternitatem praedestinationis, non generationis intelligant, sed permanere, gigni, nasci, ut cum paulo ante dixit: «Ex te mihi egredietur,» id est nascetur, «qui sit

dominator in Israel.» Dices: Apoc. xiii, 8, Agnus, id est Christus, dicitur occisus ab origine mundi, non realiter, sed per Dei praesentiam et praedestinationem; ergo similiter hic a egressus exponi potest non realiter, sed in Dei praedestinatione. Respondeo, nego consequentiam; verba enim Scripturae proprie accipienda sunt, non improprie, nisi que necessitas aut contradictio cogat, uti hic nihil cogit: in Apocalypsi autem cogit. Nam Agnus, qui realiter non erat, nec erastabat ab origine mundi, non poterat tunc realiter occidi (quod enim non est, occidi nequit); ergo occisio haec non actualis, sed mentalis, puta praescita et praedestinata a Deo, intelligi debet. Hic autem nil est tale; ergo realis egressus et natiuitas, non mentalis et praedestinata, intelligenda est.

TERTIO, Christum in Bethlehem natum esse Deum, ideoque aeternum, patet ex cap. iv, 1: «Erit mons domus Domini preparatus in vertice montium,» puta Sion, id est Ecclesia Christi. Nam pro ab initio hebraice est *Jehova*, quod non alium quam Deum verum significat, ejusque nomen est proprium. Et vers. 2: «Venite, ascendamus ad montem Domini (hebraice *Jehova*); quia de Sion exhibet lex, et verbum (Evangelium) Domini (hebraice *Jehova*, puta Christi,) de Jerusalem.» Et vers. 7: «Et regnabit Dominus (hebraice *Jehova*, puta Christus) super eos, ex hoc nunc et usque in aeternum.» Idem patet Isaie ix, 6, ubi parvulus nasciturus nobis, puta Christus, vocatur «Deus, Fortis, Pater futuri saeculi» (hebraice *Pater aeternitatis*); et cap. vii, 14, vocatur «Emmanuel,» id est nobiscum Deus.

QUARTO, ita interpretantur Patres et orthodoxi passim, Theodoretus, Haymo, Remigius, Rupertus, Albertus, Hugo, Lyranus, Dionysius, Clarus, Vatablus, Ribera hic, Cyrillus hom. 4 Contra Nestorium, S. Chrysostomus in lib. Quod Christus sit Deus, Origenes lib. 1 Contra Celsum, Eusebius lib. II Demonstr. cap. n, S. Athanasius, et alii passim contra arianos.

DICES: Si de sola aeterna emanatione et generatione Christi hic agitur, cur ergo Propheta eam vocat egressus, vel exitus in plurali? Respondet primo Ribera, causam esse quod Hebraei soleant res maximas et praestantissimas compellere pluraliter, ut rei magnitudinem et praestantiam significent, quod, licet una sit, aequipolleat tamen pluribus. Sic Deum vocant *Elohim*, in plurali; sic elephas vocatur *behemoth*, id est bestiae, quod mole sua et robore multas bestias aequet, imo superet. Quia ergo natiuitas aeterna Christi maxima est et divina, omnesque creatas natiuitates eminenter continet, hinc ab Hebraeis vocatur egressus, id est natiuitates, in plurali. SECUNDO, aliam causam dat Vatablus: «Plurali, inquit, utitur, quia Christus semper procedit a Patre juxta emanatione et processione, heri, hodie et olim,

q. d. Christus erit verus homo, verusque Deus, et coaeternus Patri;» quia ergo jugiter ab aeterno Christus a Patre gignitur, hinc ejus generatio vocatur *generations*: nam quolibet instanti generatur, et omnibus generationibus creaturarum coexistit; sicuti fontis emanationem vocamus *scaturigines*, quia jugiter aquam scaturit. Hinc patet aeternitas, et consequenter vera Deitas Christi. Negabant utramque ariani, quorum, teste S. Athanasio multis in locis, hoc erat axioma: «Erat aliquando (tempus vel duratio) quando non erat Christus.» Respondet Franciscus David, novorum arianorum choragus, in *Disput. Albana*, in actis diei tertiae: «Vocabulum, inquit, diebus additum, explicat mentem Prophetae. Dies enim tunc coeperunt, quando creatus est mundus. Et illi primi dies dieuntur aeterni, propter continuam successionem: sicut saepius Scriptura loquitur, et ideo cum facta tunc quoque sit de Christo futuro promissio, dicitur fuisse egressus ejus a diebus aeternitatis.» Verum obstat quod, licet in aeternum in Scriptura significet aliquando longum tempus continuum, non infinitum; tamen aeternitas, et hebraicum עולם *olam*, junctum cum מן *men* *michedem*, semper immensam durationem significat. SECUNDO, «egressus ejus» non est promissio de eo nascituro, sed natiuitas ejus, ut cum dicitur hic: «Ex te mihi egredietur (id est nascetur) dux:» aliud enim est egredi hominem, aliud egredi verbum vel sermonem: illud significat nasci, hoc prophetae et promittere. Nec obstat quod vocetur dies aeternitatis; dies enim hic ponitur pro duratione, ut cum *Daniel*, cap. vii, 9, Deus Pater vocatur: «Antiquus dierum,» id est aeternus.

DICES: Quomodo ergo ait: «Egressus ejus ab initio?» aeternitas enim non habet initium. Respondeo: Scriptura *initium* vocat id quod erat ante tempora, hoc autem erat aeternitas. Unde explicans subdit: «a diebus aeternitatis.» Loquitur enim accommode ad conceptum hominum, qui cum volunt dicere aliquid fuisse ab aeterno, dicunt illud fuisse ante omnia, ab initio. Sic Proverb. vii, 22, ait Sapientia increata: «Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio.» Et Eccli. cap. xxiv, 14, ait aeterna Dei Sapientia: «Ab initio, et ante saecula creata sum, id est ab aeterno. Sic et Isaie xliii, 13, ait Deus: «Ab initio ego ipse,» q. d. Ab aeterno ego sum, qui sum. Porro hanc Michaeae sententiam: «Et egressus ejus a diebus aeternitatis,» sic clare per trimembrem sententiam explicat S. Joannes cap. i, 1: «In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.» q. d. Ab aeterno, et, ut ita dicam, a principio aeternitatis, Verbum egressum et genitum est a mente Patris; ac proinde erat apud eum, et in ejus mente, ac consequenter ipsum erat Deus: quia quidquid est in mente Dei et in Deo, est Deus. Hinc et Christus,

à Judæis rogatus quis esset, respondit : « Principium, qui et loquor vobis, » Joan. viii, 25; græce *αρχή*, q. d. Ego sum ante Abraham a principio, id est ab æterno; Deus de Deo, qui et idipsum vobis proloquitur. Idemque Apocal. xxi, 6, ait : « Ego sum α et ω, initium et finis. »

Præclare Nazianzenus : « Deus et erat semper, et est, et erit; vel, ut rectius loquar, semper est. Nam Erat et Erit nostri temporis fluxaque naturæ segmenta sunt. Ille autem semper est, atque hoc modo se ipsum nominat, cum in monte Mosi oraculum dedit. Universum enim id quod est, in se complectitur, nec principium habens, nec finem habiturum, velut pelagus quoddam essentia immensum et interminatum, omnem tum temporis, tum naturæ cognitionem superans : mente sola adumbratus is, et quidem perexigite ac perobscure, non ex his quæ in ipso sunt, sed que circa ipsum : alia ex alio collecta specie ad unum quoddam veritatis simulacrum : priusquam teneatur effugiens, et priusquam intellectu percipiatur solisum fuga propriis : tantum principem nostri partem, eamque a vitiorum labe purgalam collustrans, quantum oculorum aciem fulguris celeritas minime consistentis. Hoc autem mea quidem sententia ideo fit, ut, quatenus comprehendi potest, nos ad se trahat (quod enim percipi omnino nonquit, id nec sperat quisquam, nec assequi conatur), quatenus autem capi non potest, admirationem sui excitat, atque ex ipsa admiratione vehementius expetatur, appetitus purget, purgans autem divinos efficit, talesque cum redditi sint, cum his jam velut cum familiaribus consuetudinem habeat (metuo ne hoc audacius a me dictum videri possit) Deus diis unitus et cognitus, ac tantum fortasse, quantum jam eos, qui ipsi noti sunt, cognoscit. »

Æternitas **temporis** **perpetua** **quæ?**
A DIEBUS ÆTERNITATIS. — Id est ab omni æternitate. Est catachresis : æternitas enim proprio cum sit duratio constans, indivisibilis, tota simul, ideoque ab intrinseco carens successione, principio et fine ; ideoque non dividitur per dies, menses et annos, qui illi successive coexistunt : hinc ab omnibus, qui omnia sua mensurant per differentias sui temporis, dantur æternitati dies, menses et anni. Sic dicitur Psal. lxxvi, 6 : « Cogitavi dies antiquos : et annos æternos in mentis habui. » Sic in Officio divino, tempore Paschali, de martyribus canimus : « Lux perpetua lucebit sanctis tuis, Domine, et æternitas temporum. » Quod desumptum est ex lib. IV *Esdræ*, cap. ii, 35, ubi sic dicitur : « Parati estote ad præmia regni, quia lux perpetua lucebit vobis per æternitatem temporis. Fugite umbram sæculi, » etc. Sicut enim immensitas Dei totam Dei magnitudinem, quæ absque termino quaeversum super celos in immensum diffunditur, colligit in punctum ; ut non minus habeat in puncto loci, quam in spatio infinito : ita æternitas durationem, et quasi ætatem Dei, quæ infinito tempori coexten-

ditur, colligit in momentum : ita ut totam possideat in instanti, sive in puncto. Sicut enim se habet immensitas ad punctum loci, ita æternitas se habet ad punctum temporis. Dicit ergo Micheas Christum in tempore nasciturum in Bethlehem, esse æternum, ideoque Deum, q. d. Ideo Christus nascetur in nostro tempore, ut nobis communiceet suam æternitatem : ideo fiet homo, ut nobis communicet suam deitatem, nosque faciat deos. Ait enim : « Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes, » Psalm. lxxxii, 6. Unde S. Gregorius, homil. 8 in *Evang.* : « Quid, ait, est quod nascituro Domino mundus describitur, nisi hoc quod aperte monstratur, quia ille apparebat in carne, qui electos suos adscriberet in æternitate? Quod contra de reprobis per Prophetam dicitur: Deleantur de libro viventium, et cum iustis non scribantur. » Ideo ergo Christus natus est temporis, ut nos vivamus æternitati; ideo egressus est a diebus æternitatis ad dies temporis, ut nos a tempore regrederemur ad dies æternitatis.

Nota : Duratio est triplex, tempus, ævum, æternitas; tempus habet suum finem, æque ac principium : ævum habet principium, sed caret fine; æternitas nec habet finem, nec principium. Rursum sicut ævum est intrinseca mensura vite angelorum, et tempus vite hominum : ita æternitas est intrinseca mensura vite et existentie divine, ac consequenter generationis Verbi, et spirationis Spiritus Sancti, ut docet D. Thomas I part. *Quæst.* X, art. 4, et ibi P. Salas. Origo et quasi ratio æternitatis est immutabilitas Dei, Unde S. Augustinus lib. *De Natura boni adversus Manich.* cap. xxxix : « Illa, inquit, vera est æternitas, quæ est vera immortalitas; hæc est illa summa incommutabilitas, quam solus Deus habet. » Et mox : « Cujus solius immortalitas, ipsa est vera æternitas. » Idem, lib. IV *De Trinitate*, cap. xviii : « In quantum, ait, mutabiles sumus, in tantum ab æternitate distamus. » Et inferius : « Vera autem immortalitas, vera incorruptibilitas; vera incommutabilitas, ipsa est æternitas. » Et S. Dionysius, *De Divina Nom.* cap. ix : « Idem vero, inquit, supersubstantialiter æternum, est invertibile, in seipso manens semper secundum eadem, et eodem se habens modo. » Et *Paulus Psalm.* cxi : « Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient. » Porro æternitatem S. Anselmus ita definit in *Monol.* cap. xxv : « Vera æternitas est interminabilis vita, tota simul existens. » Et Richardus Victorinus lib. II *De Trinitate*, cap. iv : « Æternitas est interminabilis vite tota simul et perfecta possessio. » Hinc æternitas ambit omnia tempora et temporalia, eorumque est fons et origo. Audi S. Dionysium lib. *De Divina Nom.* cap. x : « Antiquus dierum Deus prædicatur, quod

Duratio triplex.

Origo æternitatis est immutabilitas.

Æternitas est vita et perfectio.

ipse sit omnium et sæculum, et tempus; et ante dies, et ante sæculum, et tempus. » Idem, cap. v : « Ipse, ait, est ævum ævorum, existens ante omne ævum. » Et paulo ante : « Ipse est principium et mensura ævorum et temporum. » Ex dictis sequitur æternitatem esse propriam durationem Dei, puta Patris, et Filii, et Spiritus Sancti; angelos autem et homines participare eam per suam ævitatatem, quæ habet principium, at non finem. Nam per eam in æternum vivent, fruuntur Deo, eruntque beati : licet vulgus per cathresin hanc ævitatatem vocet quoque æternitatem, scilicet creatam et participatam : quia beati erunt beati tamdiu, quamdiu Deus erit beatus; imo quamdiu Deus erit Deus, quantum durabit ejus æternitas. O æternitas, quanta es! quam immensa! quam pretiosa! quam beata! et tamen quam raro versaris in mentibus hominum! quam pauci te tuumque pondus æstimant! nulli te penetrant, pauci ponderant! Sapienter S. Gregorius lib. VI, *epistol.* 190 : « Si bona, ait, querimus, illa diligamus, quæ sine fine habebimus. Si autem mala pertimescimus, illa timeamus, quæ a reprobis sine fine tolerantur. » Et Cicero, *Tuscul.* IV : « Quid, inquit, ei videatur magnum in rebus humanis, cui æternitas omnis totiusque mundi nota sit magnitudo? » Et S. Antonius discipulis suis hoc axioma tradebat : « Hoc, ait, sit primum cunctis in commune mandatum, nullum in arrepti propositi vigore lassescere; sed quasi incipientem angere semper debere quod cœperit, præsertim cum humane vite spatia, æternitati comparata, brevissima sint. Promissio vite sempiternæ vili pretio comparatur. Scriptum est enim : Dies vite nostræ septuaginta anni : quando ergo octoginta aut centum annos laborantes in Dei opere vixerimus, non parti tempore regnaturi sumus in futuro; sed pro annis, omnium nobis sæculorum regna tribuentur : non terram hereditabimus, sed cœlum. » Ita S. Athanasius in *Vita S. Anton.*

VEN. J. PROPTER HOC DABIT EOS USQUE AD TEMPUS, IN QUO PARTURIENS PARIET. — Tò dabit dupliciter, imo contrarie accipi potest : Primo, a dabit, scilicet hosti, gladio, similive tribulationi, q. d. Objiciet eos hostibus, et calamitatibus sinet eos affligi; secundo, a dabit, id est conservabit eos in vita, ut habitent in terra sua. Jam varii varie hæc exponunt. Punctum difficultatis consistit in eo, quodnam vocetur a tempus, in quo parturiens pariet. Primo, aliqui esse censent tempus liberationis et captivitate Babylonica, et libertatis sub Cyro, q. d. Quia latrones de quibus vers. 4, hoc est, tyranni et prædones assyrii atque chaldei, Israellem ob ejus scelera affligent et captivabunt; hinc Deus dabit, id est permittet eos in Israellem grassari usque ad Cyrum, quando, eo laxante captivatem, Synagoga parturiens pariet, id est præ gaudio et festinatione producet et adunabit turbam ingenium suorum filiorum et civium, cum

jubilo e Babylone in Judeam redeuntium. Verum hic nulla Babylonicæ facta est mentio, sed tantum Christi : Christum enim et præcedentia et sequentia omnia spectant.

Secundo, alii distinguunt tempus parturitionis a tempore parienti; tempus parienti Synagoga, censent esse illud quod peperit Christum : tempus parturitionis, quo cruciatibus afflicta et oppressa est a Tito et Romanis, q. d. Propter hoc, quia scilicet filia latronis, id est Jerusalem, percussura et occisura est Christum, inquit Rupertus, ideoque Deus dabit permanere Synagoga et Judæos, usque ad tempus quo pariet Christum Salvatorem, et mox per Titum eam affliget, ut crucietur quasi parturiens; et in hac dolorum parturitione enecetur et exspiret. Unde Chaldaeus vertit: *Propterea tradentur Judæi Romanis, quando parturiens pariet.* Idem Chaldaeus sic explicat illud *Isaie* lxxvi, 7: « Antequam parturiret, peperit : antequam veniret partus, peperit masculum, » q. d. Antequam videlicet angustia, salvabitur; et antequam venient dolores partus, revelabitur rex Messias, q. d. Antequam veniat Titus angustians Judæos, veniet et nascetur Christus salvator. Sic et veteres Hebræi apud Galatinum, lib. IV, cap. xi. Quin et S. Hieronymus sic explicat : Stabit Judæismus, donec Ecclesia pariat filios Christo; donec scilicet gentilitas, quæ antea sterilis fuerat, credens in Christum multos ad eum convertat, qui in locum Judæorum, quasi populus et filii Dei succedant.

Tertio, alii accipiunt tempus Ecclesie nascentis, quando ipsa multos filios peperit Deo et Christo, juxta oraculum *Isaie* cap. liv, 4, q. d. Propter hoc, quia scilicet ex Israele et Judæis nasciturus est Christus in Bethlehem, ideoque Deus dabit, id est sinet eos in Judæa vivere, ac differet ultionem suæ mortis, hoc est destructionem Jerusalem per Titum, aliquantisper; donec scilicet Ecclesia Christi nascentibus et Judæis filios pariat Christo; id est donec ipsa crescat et confortetur, ut sese conservare et spargere possit per omnes gentes; quo facto Judæam et Judæos per Titum evertet. Ita Lyranus, Vatablus et Dionysius.

Quarto et genuine : « Tempus quo parturiens, » vel, ut Hebraice est, *pariens pariet*, est tempus quo Deipara peperit Christum in Bethlehem : illa enim vocatur *pariens et mater* antonomastice; quia partus ejus fuit nobilissimus, ideoque celo et terræ optatissimus, et hoc significat illa geminatio *pariens*; vel, uti Noster vertit, *parturiens pariet* : in enim *parturiens* non significat dolorem, sed vehementem desiderium, gaudium et accelerationem partus, ut dixi in illud *Isaie* lxxvi, 7: « Antequam parturiret, peperit. » Ad Isaiam enim more suo alludit hic Micheas (1). Sensus ergo est, q. d. Propter hoc, quia scilicet in Bethlehem nascetur Christus, quem Deus decrevit et statuit salvatorem

(1) Virginem innuit, inquit et ipse Rosenmüller, e qua modo prodigioso Messiam nasciturum sperabat istius *matris homines.*

et dominatore Israelis, idcirco dabit eos, id est permittet Israellem et Judeos affligi ab Assyriis, Chaldeis et Grecis, donec Deipara pariat Christum. Hic enim erit redemptor et salvator Israelis, omniumque gentium. Ita S. Hieronymus, Haymo, Remigius, Hugo hic, et Eusebius lib. VII *Demonstrat.* cap. II. Huc pertinet aliorum expositio quæ talis est: Durabit successive Synagoga afflictio, et captivitas Babylonica, Græca et Romana, donec ipsa pariat Christum: hic enim ab omni servitute eam liberabit. Nota: Scriptura de Israele quasi de populo loqui solet, nunc singulariter, quia populus collective est unus et singularis: nunc pluraliter, quia in populo plures sunt homines et capita. Ita facit hic Michæas. Rursus de Israele nunc loquitur masculinè, quasi de populo; nunc femininè, quasi de Ecclesia et Synagoga. Unde ait: « Parturiens pariet » quasi mater.

Symbolice, sensus est, *q. d.* Propter hoc, quod scilicet Deus statuit Christum in Bethleem nasciturum, efficere salvatorem mundi; hinc dabit, id est sine Israellem sub lege affligi, ut ipse cognoscat ex lege tum peccatum, tum legis infirmitatem ad tollendum peccatum, et ad sanandam concupiscentiam; ut Israel, id ipsum agnoscerens, magnis viris exoptet Christum, ejusque gratiam, quæ concupiscentiam domet, et peccatum abolet. Ideo enim distulit Deus Christum per quatuor annorum millia, usque ad virginis partum, ut interim mundus agnosceret suæ animæ peccata et vulnera, æque ac naturæ et legis infirmitatem, ac instanter medicum, puta Christum, requireret, uti docet Apostolus *Rom. III, 20* et seq. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Remigius, Hugo et alii.

Allegorice Arias: Sine Christus, inquit, Israellem, id est Ecclesiam suam, puta Apostolos et discipulos, aliquosque a Judeis affligi, donec ipsa quasi ex partu egrediens in Pentecoste, Spiritus Sancti robore adventu, ut numero et viribus adaucta, se diffundere possit per omnes gentes.

ET RELIQUIE FRATRUM EJUS CONVERTENTUR AD FILIOS ISRAEL. — « Ejus, » scilicet dominatoris Israel, nascitur in Bethleem, puta Christi, *q. d.* Reliqui, id est pauci Judæorum, qui sunt fratres Christi secundum carnem, convertentur ad filios Israel, id est ad Patriarchas et Prophetas: ut scilicet Patriarcharum et Prophetarum in Christum fidem, pietatem et sanctitatem amplectantur et emulentur, juxta illud *Psal. XLV, 17*: « Pro patribus suis nati sunt tibi filii. » Aut *filii Israel* sunt Apostoli, *q. d.* Quando Ecclesia parturiens pariet Christum et Apostolos, tunc fratres Christi, puta Judæi et captivitate reliqui, convertentur ad filios Israel, id est Apostolos, eorumque et fidelium cœtui aggregabuntur. Anagogice, *q. d.* In fine mundi, cum plentitudo gentium intraverit in Ecclesiam, tunc reliquos Judæorum per Eliam et Enoch convertentur, tuncque omnis Israel salvus fiet. Ita S. Hieronymus, Haymo, Remigius et

Hugo. « Elias enim (qui interpretatur Deus Dominus) convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres, et novissimus populus jungetur antiquo, ut vere filii Abraham appellerentur, cum in eum crederent, quem vidit Abraham et lætatus est, » ait S. Hieronymus.

4. ET STABIT. — scilicet dominator Israel, puta Christus natus in Bethleem ex parente Virgine Deipara, de quo vers. 2 et 3. Alludit ad pastores qui, dum gregem pascent, stant innixi suæ furcæ sive baculo pastorali, tum ut oves omnes præ oculis habeant, videantque ne que aberret, vel a grege se separet; tum ut circumlustrant num qua ex parte lupus, vel alia fera, in gregem incursurus adventet, *q. d.* Pari modo Christus, quasi pastor fidelium, iis semper aderit, eos circumspiciet, pascat protegetque ab omni demonum hostiumque incurso. Ita S. Hieronymus, Remigius, Hugo et Vatablus. Hoc est quod Christus promisit: « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi, » *Matth. cap. XXVII, 20*. Nota: Vox *stabit* significat Christi pastoris et regis, *primo*, curam et providentiam Ecclesie; *secundo*, vigiliam in ea pascentia; *tertio*, constantiam. Unde Vatablus recte sic exponit: *stabit et pascat*, id est perpetuo pascat fideles, perpetuo regnabit in Ecclesia. Non enim transit ab ea, uti transit a Judeis ad gentes; sed jugiter cum fidelibus stabit et manebit.

Anagogice, *q. d.* Christus post resurrectionem descendit in cœlum, ibique « stabit » a dextris Patris, quasi triumphator et dominator, ut Ecclesiam regat, tueatur et propugnet. Quocirca S. Stephanus in agone martyrii cum Judeis decertans: « Ecce, inquit, video ocelos apertos, et Filium hominis stantem a dextris Dei, » *Act. VII, 33*. Ita Rupertus; unde sequitur:

ET PASCEAT IN FORTITUDINE DOMINI. — *q. d.* Christus pastor reget fideles quasi oves suas, fortitudine non humana, sed divina; tum increata, quam ut Dei Filius a Deo Patre unam eandemque cum eo accepit; tum creata, quam ut homo a Deo communicatam participat: quo fiet ut nulli lupi vel fere illi prævalere, aut gregem ejus diripere vel dissipare queant; quin certo illas ad vitam æternam perducat, juxta illud quod ipse ait: « Oves meæ vocem meam audiunt, etc. et non rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est, et nemo potest rapere de manu Patris mei. Ego et Pater unum sumus, » *Joan. X, 27*.

IN SUBLIMITATE NOMINIS DOMINI DEI SUI. — id est sublimiter, potenter et magnifice pascat Christus suos fideles, prout decet majestatem nominis divini, quod ipse in pascendo ubique præferet, ut probet se esse Deum, et a Deo Patre missum: pascat, inquam, sublimiter et gloriose, quasi in ea re gloria nominis et honoris sui divini ageretur; ita ut omnes videntes Christi regimen illustre, quo eminenter pascat oves suas, laudent et cele-

brent magnificum Dei nomen, *q. d.* Gubernabit Christus Ecclesiam quasi pastor, cum ea potentia et gloria, qualis et quanta decet eum qui de nomine Patris æterni appellatur Patris æterni Legatus, imo Filius. Hoc est quod ait Joannes cap. 1, 14: « Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, » id est qualis decebat unigenitum Dei Filium. Et Isaias cap. LX, 13: « Ponam te in superbiæ seculorum, » ubi pro *superbiæ* hebraice est eadem vox *וַיִּנְחַן* *geon*, quam interpres hoc loco *sublimitatem* vertit. Porro ita sublimiter pascat Christus suos, dando eis tum sublimem Evangelii doctrinam, tum gratiam potentem, qualem præ cæteris habuerunt martyres ad superandos ignes, gladios, feras, omniaque tormenta; tum protectionem certam et continuam, tum miracula stupenda et inaudita, qualia fecit Christus et Apostoli.

Nota: *Nomen Dei*, quo Christus suos pascat, varia significat. Nam, *primo*, *nomen Dei* est honor, fama et gloria Dei, uti jam dixi. *Secundo*, *nomen Dei* significat potentiam et opem Dei. Sic Christus pro hisdem orans, *Joan. XVII, 41*, ait: « Pater, serva eos in nomine tuo, » id est tua virtute et potentia. *Tertio*, *nomen* significat professionem et invocationem nominis, *q. d.* Christus pascat suos fideles sublimiter, quia profitebitur se id facere in nomine Patris sui, quod profitebitur, predicabit et invocabit. *Quarto*, *nomen Dei* est ipse Deus metonymice; sic dicitur sanctificare, laudare, celebrare nomen Dei, id est ipsum Deum. Sic Christus jussit Apostolos baptizare fideles « in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, » hoc est in fide, professione et invocatione unius deitatis et sanctissime Trinitatis, *q. d.* « In nomine, » id est invocato et appellato nomine, et per consequens persona, divinitate, virtute, auxilio, energia et gratia « Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, » *Matth. cap. XXVII*.

ET CONVERTENTUR. — *q. d.* Christus per se et Apostolos pascent, id est docens et insuens homines, convertet eos ad se et ad Deum. Legit interpres, uti et Chaldeus, *יָשׁוּב* *iasub*, id est *convertentur*; alii aliis punctis cum Septuaginta et Symmacho legunt *יָשׁוּב* *tesebu*, id est *sedebunt, manebunt, habitabunt quiete et pacifice*, quasi sedentes domi in pace, ut alludit ad cap. IV, 4: « Sedebit vir subius vineam suam, et subius ficum suam, » *q. d.* Sub Christo pastore et rege, fideles ad eum conversi vivent in summa pace. Ita S. Hieronymus, Lyranus, Pagninus, Vatablus et alii.

QUIA NUNC MAGNIFICABITUR. — Christus pastor sublimis. *Tunc* significat tempus presens non Michææ, sed Christo: de Christo enim continue agit, *q. d.* Videor mihi oculis spiritus instar Abraham: videre illum gloriosum, quo Christus ex Virgine natus pascat fideles magnifice. Unde admirans et exultans exclamo « nunc, » scilicet præsentem, pascentem et regentem Christo: Magnifica-

bitur Christus et nomen Dei, « usque ad terminos terre. » *Tunc* non causam, sed effectum et sequelam significat, *q. d.* Unde sequetur ut magnificentetur nomen Dei et Christi toto orbe. Aut certe encliticum est, et per pleonasmum ornatus tantum gratia additur. Sic enim Hebræi addere, et sententiæ illustri præfigere solent *וַיִּנְחַן*, id est *quia*. *Secundo*, simplicius *tunc* referri potest ad tempus Michææ, *q. d.* Christus dum nascetur homo, pascat suos fideles in fortitudine Domini: quia ecce nunc, antequam natus est homo, primos et prævios potestatis suæ radios (uti emittit sol antequam oriatur, in aurora) spargit, et magnificari incipit, usque ad terminos terre. Nam mox Assyrium Sennacherib in Judæa conteret per angelum, uti sequitur. Atque idcirco dixit quod Christus egressus sit a diebus æternitatis: quia enim Christus est æternus, hinc quovis sæculo se ostendit per miracula et opera heroica, que in titulum et commodum Israelis populi sui operatus est.

5. ISTE PAX. — *Quæres* quis sit *iste*? Aliqui intelligunt Ezechiam, qui cum suis orans impetravit a Deo pacem Judææ, casis per angelum hostibus, puta Assyriis. Ita Theodoretus. Alii accipiunt Cyrum, qui libertatem et pacem dedit Judæis. Ita Lyranus. Alii Judam Machabeum cum fratribus, qui suis victoriis pacem dederunt patrie. Favet huic Judæ paraphrasis Chaldaica. Verum cum nullius horum præcesserit mentio, sed solus Christi dominatoris Israel, in Bethleem nascituri, de eoque continuis sit sermo: dico quod *iste* sit Christus, cum allusione tamen ad Ezechiam, Cyrum et Judam. Sensus ergo est, *q. d.* Christus erit pax non formalis, sed causalis, id est dabit pacem suæ Ecclesie suisque fidelibus: pacem, inquam, trinam et plenam, scilicet pacem cum Deo, pacem cum conscientia, pacem cum proximis: atque hujus pacis dabit præludium, initium et typum, dando hoc Michææ tempore Ezechiam, et paulo post Cyrum et Judam Machabeum, qui Israelii victoriam contra Assyrios, indeque pacem concilient. Dices: Solus Ezechias pugnavit contra Sennacherib et Assyrios, non Cyrus, non Judas; sed Cyrus pugnavit contra Babylonem et Chaldeos, Judas contra Antiochum et Græcos. Respondeo *primo*, sub Assyriis Chaldeos comprehendendi: nam monarchia ab Assyriis translata est ad Chaldeos; unde tunc Chaldei tam dominabantur Ninivæ et Assyriæ, quam Babylonii et Chaldei. Et sic Cyrus dicitur vicisse Assyrios, quia vicit Chaldeos. Hinc et Assur vocatur hic « terra Nemrod, » quia Nemrod primus orbis rex et tyrannus dominabatur Assyriæ; principium tamen et sedem imperii posuit in Babylone: unde Nemrod auctor fuit turris Babel edificandæ, uti dixi *Genes. X, 8, 9* et 10. Nominat Michæas Assyrios, potius quam Chaldeos, quia ejus tempore dominabatur Sennacherib et Assyrii, insultantes Ezechiae et Judæis: unde illos proprie et primario

Vers. 5.

Christus est pax causalis triplex.

hic respicit. *Secundo*, quia Nemrod, primus tyrannus orbis, fuit rex Assyriorum; indeque Assyrii primi fuerunt monarche et celebres tyranni; hinc per sequentia sæcula mansit hoc nomen, ut Assyrii vocarentur quivis potentes tyranni, sive Græci essent, sive Persæ, sive Romani, ut ostendit *Isaia* cap. vii, 17. Sic Judas Machabeus vicit Assyrios, quia vicisti Antiochum et Græcos tyrannos. Hinc *tertio*, Assyrii significant quoslibet hostes Ecclesie, quales sunt infideles, Saraceni, hæretici; item demones: omnes enim hosce tyrannos profligat Christus, itaque pacem Ecclesie conciliat, sed inchoatam in Ecclesia presente: hæc enim cum sil militans, sine bellis et luctis esse nequit; perfectam vero dabit in celo, ubi post bella et victorias erit Ecclesia in plena pace, gaudio et felicitate jugiter triumphans. Ita de Christo hunc locum accipiunt S. Hieronymus, Haymo, Rupertus, Albertus, Hugo, Arias, Clarius, Ribera et alii passim.

Moraliter. Moraliter, discite hic Christum esse pacem nostram. Unde ejus typus fuit Salomon rex uti nomine, ita re ipsa pacificus. Ad hunc Michææ locum alludens Paulus, vocat Christum pacem Judæorum et Gentium, dicens: « Ipse enim id est pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem macerie solvens, inimicitias in carne sua, etc., ut duos condant in unum novum hominem, faciens pacem, et reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso. » *Ephe.* cap. ii, 14. Vide ibi dicta. Vis ergo pacem cum Deo, cum anima, cum proximis? Christum, qui est pax nostra, ad pacem a pace posse; Christum in mente tua defige, et pacem defixisti. Ipse enim est princeps pacis, æque ac pater futuri sæculi, uti eum compellat *Isaia* cap. ix, 6. Rursum, vis iudicium, ex quo certo scias an Christus in anima tua habitet? advertite an habeas pacem in conscientia. Si habes, utique ibidem adest et dominatur auctor et rex pacis. Si non habes, utique Christus abest: quia sicut sol sine luce, ignis sine calore, rex sine regno: ita Christus sine pace esse nequit; nam in pace factus est locus ejus, *Psal.* lxxv, 3. Hoc est quod inculcat Apostolus: « Pax Christi exsultet in cordibus vestris. » *Colos.* iii, 15. Vide quæ ibid. et *Isaia* ii, 4, annotavi.

CUM VENERIT ASSYRIUS. — Alludit de more ad *Isaia* cap. xxxvi; nam per *Assyrium* proprie intelligit Sennacherib, tempore Ezechie imminente Hierosolymæ, quem Christus occidit per angelum, itaque pacem dedit urbi et regi Ezechie. Consequenter pacem sub *Assyrio* intelligit Nabuchodonosorem, Antiochum, Pompeium, Neronem, Decium, aliosque Israelis et Ecclesie hostes et persecutores, uti jam dixi. Hosce enim omnes debellavit, et in dies debellat Christus, pro fideibus suis decertans.

SUSCITABIMUS SUPER EUM SEPTEM PASTORES, ET OCTO PRIMATES HOMINES. — Hebraice, *hominis*, et ita in

Latinis legendum censet Ribera. Unde et Syrus vertit, *octo principes hominum*; Arabicus, *octo primates vel prefectos hominum*. Verum Biblia Latina Regia, Vaticana et alia omnia legunt, *hominis*: nam *primates hominis*, id est hominum, sunt *primates homines*; Chaldaeus, *septem reges*, et *octo principes hominum*; Symmachus, *septem pastores, et octo christos hominum*; *christos*, id est reges et principes: hi enim sunt christi, id est olei effusione (hanc enim significat hebraicum נֹשֶׁח *nosseh*) uncti in sua creatione et inauguratione. Et Septuaginta: *Consurgent super eum pastores, et octo morsus hominum*. Legerunt נֹשֶׁח *nesiche* per *schin*, et tum significat *principes*. Sensus tamen eodem redit. Nam per morsus Septuaginta intelligunt principes et duces, qui mordeant et subigant Assyrium, uti leones mordendo subigunt sibi feras quaslibet. Nota: *Pastores* iidem sunt qui *primates*, puta principes, *q. d.* Contra Assyrium excitabimus septem, imo octo, id est multos, imo plurimos principes, qui ei resistent, autem debellant. Sepulnarius enim numerus in Scriptura symbolum est multitudinis: quod si addatur octonarius, magnam et ingentem multitudinem significat; ut cum dicitur *Eccl.* xi, 2: « Da partem septem, nec non et octo. Sensus est, *q. d.* Panum et opum tuarum partes erga liberaliter in pauperes, ac dato elemosynam septem, id est nullis, nec non et octo, id est multo pluribus indigentibus, *q. d.* Da quot quantisque potes. Aluditi ad reges Assyriorum et Persarum, qui penes se habebant septem principes, quasi summos consiliarios et administratos in gubernatione regni, qui instar septem angelorum principum, per quos Deus Ecclesiam orbemque regit, de quibus *Job* xii, 15, et *Apostol.* i, 4, instituti videntur, uti dixi *Apostol.* i, 4. Sic *Jerem.* xxxix, 3, nominantur septem, imo octo principes Nabuchodonosor, qui ejus aule et castris prefecti, obsederunt et expugnaverunt Hierosolymam, scilicet *Neregel, Sereser, Semegarnab, Sarsachim, Habsares, Neregel, Sereser, et Bebnag*. Sic de Assuero, marito Esther, dicitur cap. i, 14: « Erant autem primi et proximi (Assuero regi) Charsena, et Sethar, et Admatha, et Tharsis, et Mares, et Marsana, et Mamuchan, septem duces Persarum atque Medorum, qui videbant faciem regis, et primi post eum residebant soliti erant. » Ex hisce septem fuit Darius Hystaspis, qui, occisis magis, deficiente stirpe Cyri in Cambysæ, hinc equi electus est rex Persarum.

Sensus est, *primo, q. d.* Nunc esse magnificabitur Christus dominator Israel. Nam cum veniet Sennacherib Assyrius, ut obsidet et capiat Jerusalem, non Israelite adunati cum Ezechia rege nostro, Christi invocatione, ope et jussu excitabimus S. Michaelem cum sex suis sociis Archangelis, qui sunt principes aule cælestis, et tutores Synagogæ fideium, ut per angelum octavum &

Septem pastores et **octo principes** enim sunt septem pastores, et octo primates hominum, ut habent Hebræi. Rursum excitabimus Eliacim, Sobna, Joahe, et alios plures aule Bæthie principes, qui Sennacherib ejusque legato Rabsai generose resistent, et casis per angelum ejus castris, illa dispolient et diripiant. *Secundo, q. d.* Cum venerit Assyrius, id est Nabuchodonosor, aut Lyranus, imperans tam Assyriis quam Babiloniis, et ceperit Jerusalem, ac Judæos in Babilonem adduxerit, nos Israelie suscitantibus Prophetas, aliosque viros sanctos, quales erunt Daniel, Jeremias, Ezechiel, Esdras, Nehemias, Zorobabel, Jesus filius Josedec, etc., qui invocando Christum prosternent Assyrium, id est Balsasarem, filium Nabuchodonosoris. Christus enim excitavit Cyrum, qui per suos septem principes et reges, Balsasarem occidit, Babilonem cepit, et Judæos inde liberavit. Septem hosce principes et reges Cyri (ad quos hic alludit Michæas) nominat Xenophon lib. v *Cyriæ*. Eorum nomina sunt hæc: Embas rex Armenia, Antuchas Hyrcania, Damatas Cadusorum, Thambradas Saccarum, Tigranas, ac Gadatas et Gobrias, qui duo Balsasarem occiderunt. *Tertio, q. d.* Cum venerit Assyrius, id est Antiochus Epiphanes tyrannus, vastans Judæam, nostris precibus per Christum excitabimus, hoc est, Christus a nobis invocatus excitabit suos prodromos et prævios duces, qui Antiochum profligent, et Judæos liberent; nimirum Machabeos septem, et plures, puta Mathathiam, Judam, Jonathan, Simonem, Joannem, Hyrcanum, Alexandrum, etc. Denique Christo nato cum venerit Assyrius, id est tyrannus Nero, Adrianus, Aurelianus, Decius, etc. Item Arius, Nestorius, Pelagius, Eutyches, alique Hæresiarchæ Ecclesiam pessumdantes, Christus excitabit septem et octo, id est multos principes tum ecclesiasticos, tum sæculares, qui illis resistent, illosque debellant et prosternant. Tales fuerunt SS. Petrus et Paulus certantes cum Simone Mago et Nerone, eosque debellantes S. Joannes et S. Clemens cum Domitiano, S. Ignatius et S. Dionysius cum Trajano, S. Cornelius et S. Cyprianus cum Gallo et Volusiano. Tales rursum fuerunt Constantinus, qui Diocletianum et Maximianum summos Ecclesie persecutores ad restim adegit, ac Ecclesie pacem et imperium consignavit; Theodosius, Arcadius, Honorius, Marcianus, et sequentes imperatores christiani, qui per se suis armis, per Episcopos vero anathemate et censuris ecclesiasticis perculerunt Nestorium, Eutychem, Pelagium, et similes hæreticos in Concilio Nicæno, Ephésino, Chalcedonensi, Constantinopolitano, etc. Ita fere S. Hieronymus, Remigius, Rupertus, Hugo et alii. Dicit, « suscitantibus, » quia Israelite, id est fideles, eligunt et creant sibi principes tum ecclesiasticos, puta Episcopos per Cleonem; tum sæculares, puta reges et imperatores; per semetipsos.

Mystice, S. Hieronymus per pastores et primates septem accipit sanctos veteris, per octo sanctos novi Testamenti. Huperius vero eos sigillatim sic enumerat: Septem, inquit, pastores fidelium fuerunt Abel, Abraham, Isaac, Jacob, Joseph, Moses et David: octo vero primates fuerunt octi iudices, id est principes et salvatores Israel, scilicet Josue, Caleb, Othoniel, Aoth, Barach, Gedeon, Jephthæ et Samson. Verum hi diu ante Michæam vixerunt; Michæas autem hosce pastores et primates in futurum promittit. Ait enim: « Suscitantibus, » etc. Mystice quoque S. Ambrosius, in *Genesim ad Horontium*, enarrat. 2, sic explicat: « Septem pastores, inquit, legis præcepta sunt, quibus grex adhuc quasi irrationalis in virga Moysis per desertum ductus et gubernatus est. Octo morsus hominum, mandata Evangelii, et Dominici oris alloquia. Corde enim creditur ad justitiam, ore confessio fit ad salutem. Boni morsus, per quos æternæ vite munus gustavimus, peccatorum remissionem in Christi corpore devorantes. In veteri Testamento amarus morsus est mortis, propterea dictum est: Devoravit mors prævalens. In novo Testamento suavis morsus est vite, quæ mortem absorbit. Propterea Apostolus ait: Devorata est mors in victoria sua. Ubi est, mors, victoria tua? Ubi est, mors, aculeus tuus? »

G. ET PASCENT TERRAM ASSUR IN GLADIO, ET TERRAM NEMROD IN LANCEIS SUIS. — *Terra Assur* est Ninive et Assyria, ita dicta a primo ejus incolæ Assur, filio Sem. *Terra Nemrod* est Babilon: ibi enim Nemrod tyrannus regnare cepit, uti superius dixi. Sensus est, *q. d.* Cyrus pascat, id est reget, et debellabit suis gladiis et lanceis Assyriam et Babilonem. Rursum cum Assyrius Sennacherib venerit in terram nostram, debellabunt eum *Isaia*, *Ezechias*, etc., per angelum. Porro Christus natus, per suos apostolos et successores, armis spiritualibus debellabit reges et principes Assyriorum, Græcorum, Romanorum, etc., eosque convertet et subiget, adeo ut ipsi jam conversi pascant quoque, id est regant, teantur, et propagent Ecclesiam, uti fecit Constantinus et posteri.

Nota: *Pro pascent, etc., terram Nemrod in lanceis suis*, Septuaginta vertunt, in *fovea ejus*; quod explicans mystice S. Hieronymus: « Nemrod, ait, interpretatur tentatio descendens: gigantibus enim et venatoribus, et superbientibus contra Dominum terra, non est in montibus, sed in foveis. Redacta est ergo terra Nemrod in foveis suis: qui enim fodit foveam, incidit in eam. » Et mox: « Quod autem, Symmachus ait: *Et pascent terram Assur in gladio, et regionem Nemrod intra portas ejus*; hoc sentiendum est, quod in domo sua alligetur fortis, et vulneretur adversarius. Et juxta Aquilam et quintam Editionem, *sicis et lanceis septem pastorum, et octo chistorum hominum conficiatur.* »

Item septem principes Cyri.

Tertio, apostolus et vii apostolici.

Vers. 7. 7. ET ERUNT RELIQUIE JACOB (1). — q. d. Apostoli et similes credentes Christo, licet pauci et quasi reliquie Judaeorum, erunt quasi imber et ros optatissimus, qui divina sua doctrina et vite sanctitate fecundabant terram, id est homines terrenos: terram, inquam, quae non expectat virum, id est manum et opera hominis, scilicet irrigantibus, sed Dei et gratiae caelestis, q. d. Deus sua caelesti luce et gratia ad praedicationem Apostolorum illabens mentibus auditorum. easque placide et suaviter irrorans, faciet eas fecundas virtutibus et bonis operibus. Ita S. Hieronymus: « Ardebant enim, inquit, ignitis diaboli jaculis corda populum. Et omnes gentes adulterantes a Deo habebant corda quasi albanus igne succensus. Unde ros a Domino cadens factus est sanitas infirmorum, » uti factus est tribus pueris in fornace Babylonia, *Daniel. iii.*

Quasi stille super herbam. — Sic et Aquila, Theodotus et Chaldaeus qui habet: *Sicut gutta imbris serotini super herbam.* Quare mirum est Septuaginta veterere: *Sicut agni super gramen,* praesertim cum non ovium, sed roris mentio processerit: est tamen apta similitudo: Apostoli enim agnina sua innocencia, candore, modestia et puritate illapsi sunt in mentibus hominum, sicut agni illabuntur gramini. Unde Christus: « Ecce inquit, ego mitto vos sicut oves in medio luporum, » *Matth. x. 16.*

Vers. 8. 8. QUASI LEO IN JUMENTIS. — quasi leo inter bestias, q. d. Apostoli quasi leones potentissime subiec- ti Evangelio quosvis infideles, ut nemo eis possit resistere: in infidelitate vero sua obstinatos, minis et miraculosis suis plagis percellent, uti Paulus excecavit Elyman magum, ac Petrus Simonem volentem in terram dejiciens, ejus crura confregit. Rore significatur suavitas, leone robur et efficacia Apostolorum, Evangelii et gratiae Christi. Hoc est enim optimum regimen, quo suavitas cum fortitudine et efficacia miscetur. Eo enim utitur Dei providentia in regimine mundi, quae attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter, » *Sapient. vii. 1.* Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Haymo, Rupertus, Lyranus, Vatablus et alii. Alludit et obiter quasi perstringit Judam et Machabeos, qui quasi leones subjugarunt hostes Israelis. De Juda enim dicitur *I Machab. iii. 4:* « Similis factus est leoni in operibus suis, et sicut catulus leonis rugiens in venatione. » Et de Machabeis, *lib. II, cap. xi:* « Leonum more impetu irruentes in hostes, prostraverunt; » nam » leo fortissimus bestiarum, ad nullius pavet occursum, » *Prov. xxx. 30.* Audi Silium Italicum, *lib. XII, Paulum consulem leoni comparantem:*

Paulus ut adversam videt increbrescere pugnam,
Ceu fera quae telis circumcingentibus altro
Assiliit in ferrum, et per vulnera colligit hostem,
In medios fert arma globos.

(1) « Et erunt reliquiae Jacob in medio populum, » etc.

Ita in infideles insiliit S. Paulus, Apostoli virique apostolici, ut S. Xaverius, Gaspar Barzaeus, Josephus Anchieta, alique leones christiani hujus aevi.

9. EXALTABITUR MANUS TUA. — scilicet, o Christe, o dominator Israel. Respicit enim ad *Vers. 2* et *4,* ubi dixit: « Et pascet in fortitudine Domini, etc., quia nunc magnificabitur usque ad terminos terrae. » Ita S. Hieronymus, Remigius, Rupertus, Hugo et Vatablus. *Secundo, tua,* scilicet, o Jacob, o Israel. Ita Theodoretus, Rupertus, Lyranus et Arias, q. d. Manus tua, o Israel, tempore Christi exaltabitur super hostes tuos, scilicet gentiles et infideles. Hos enim Apostoli ex te nascuntur, tunc filii occident, ut intereat non corpore, sed mente et vita; scilicet quoad infidelitatem et vitam pristinam, quam in Dei ignorantia et sceleribus egerrunt. Occident ergo in eis impietatem, libidinem, ebrietatem, etc., facientque ut vivat in eis pietas, castitas, sobrietas, etc. Ita S. Hieronymus. Quae victoria longe major et nobilior est, quam si omnes trucidarent. Quid enim mirabilius, quid generosius quam inimicos occidere, eosque facere amicos; infideles occidere, et facere fideles; impios, pios; incestos castos, ebrios sobrios? etc. Hic sensus planior est. Nam de Jacob immediate processit: « Et erunt reliquiae Jacob in Gentibus, » etc. Et de eodem sequitur: « Auferam equos tuos de medio tui, » sic tamen sensus cum priori coincidit. Exaltatio enim Christi est exaltatio Israelis, id est Ecclesiae, et vice versa.

10. AUFERAM EQUOS TUOS DE MEDIO TUI. — Pergit loqui de Jacob, id est Apostolis et fidelibus sparsis per gentes, easque ad Christum convertentibus; hoc est de Ecclesia Christi, quae coepit ex Judaeis, crevit ex gentibus. Unde de gentibus maxime hic loquitur, quae de idololatria et gentilitate convertende erant ad Christum et Ecclesiam; nec enim Judaei tempore Christi, imo nec post reditum e Babylone, publicae idola coluerunt. Sensus est, q. d. O Jacob, id est, o Ecclesia, quae orta es ex Jacob, sed maxime propagata es per gentes, auferam tibi omnia praesidia, omnia arma, omnes arcus et munitiones, quibus antea Christum fidemque Christi oppugnabas, vel illi resistebas; ac nominatim auferam maleficia, divinationes, oracula, idola, corumque fana et urbes. Haec enim infideles opponebant fidei et Ecclesiae, sive quasi arietibus Ecclesiam impetebant. Hinc *secundo,* auferam tibi haec arma, quia dabo tibi plenam pacem, confidentiam et securitatem in Christo, quo nixus secure in eo ejusque praesidio conquiesces, nec confides in armis pristinis, alisque humanis auxiliis; utpote quae imbellia et invalida expertus contemnes. Hoc est quod dixit *cap. iv. 5:* « Concidet gladios suos

Subest, ut observat Rosenmuller, antithesis inter reliquias et populos multos validosque, q. d. Etiam populus Jacobo ortus non prevalcat multitudine, Deus tamen faciet ut augeat et propagetur.

in vomeres, et hastas suas in ligones. Et sedebit vir subtus ficum suam. » *Tertio,* auferam tibi arma, quia faciam ut armis non propages tuos limites, sed caelesti doctrina, mansuetudine, sanctitate, patientia, morte et martyrio. Ita Arias, Vatablus et Lyranus.

Mystico S. Hieronymus: « O Israel, inquit, interiticam equos tuos de medio tui, id est de principali cordis tui lascivientes impetus, et eorum more ruptis vinculis proruentes; et curtus tuos, quibus tibi in vitis placebas, et peccata peccatis conscocians, quasi triumphans in quadrigis ferebaris. »

11. ET AUFERAM MALEFICIA. — Hebraeus et Chaldaeus: *Succidam maleficos de manu tua;* Chaldaeus, *de medio tui, et praestigiatos non erunt tibi;* successis enim maleficis et praestigiatoribus, succiditur maleficia et praestigiae: sicut successis haereticis ministris et libris, succiditur heresis. Hebraice malefici vocantur *מכשפים* *mechassaphim,* divini, *מכשפי מעונו* *meonenim.* Unde Tigurina verit, *astrologi.* Meonenim ad verbum sunt oculatores, id est observatores vel temporum, vel somniorum, vel astrorum, vel avium, aut praestigiatos, qui oculos perstringunt et ludificant, uti dixit *Levit. cap. xix. 26;* hi enim frequentes erant apud Judaeos. Unde Juvenalis, *satyra vi:*

Qualicumque vobis Judaei somnia veniunt.

ET DIVINATIONES NON ERUNT IN TE. — Christus enim deorum, id est demonum, oracula sustulit, non tantum apud christianos, sed et fisdem apud gentiles silentium imposuit; unde Plutarchus librum edidit *De Oraculorum silentio.* Et Juvenalis, qui coevus fuit Apostolis, *satyr. vi,* asserit astrologos et Chaldaeos a gentilibus consulti, eo quod demones obmutuerint:

Chaldaeis sed major erit fiducia: quidquid
Dixerit astrologus, credent a fonte relatum
Homonibus: quoniam Delphis oracula cessant,
Et genus humanum damnat caligo futuri.

13. ET EVELLAM LUCOS. — in quibus gentiles erigebant sua idola et fana, ibique celebrabant sacra sua sacrificia, festa et convivia. Lucus est nemus arboribus densum; dictus Lucus, non quod ibi sint lumina religionis causa, ut aliqui volunt, sed per antiphrasin, quod minime luceat; sicut bellum dicitur, quasi minime bellum et bonum. Lucus enim non erat caedus, religionis, id est superstitionis causa; nec enim licebat ejus arbores cadere; quin potius manu consilius, religiosus erat, atque vel alicui deo, vel alicujus hominis cineribus consecratus. Lucus ergo erat sacer. Unde Virgilius, *I Aeneid.:*

Lucus in urbe fuit media, latissimus umbra.

Ubi Servius: Ubicumque, ait Virgilius, lucum ponit, sequitur etiam consecratio, ut:

Luco tum forte parentis,
Pileum, Turnus sacra in valle sedebat.

heroum enim animae dicebantur lucos incolere Unde Virgilius, *Aeneid. vi:*

Nulli certa domus, lucis habitamus opacis.

hinc Deus lucos, ut supersticiosos et idololatrios, succidi jussit, *Deuteronom. cap. xii. vers. 3, et Ecod. cap. xxxiv. 31.*

ET CONTERAM CIVITATES TUAS. — Hebraeus *קרי* *arim* et civitates et hostes significat. Unde Chaldaeus, Arias, Pagninus et Vatablus vertunt: *Conteram hostes tuos;* Septuaginta tamen, Noster, Tigurina et alii vertunt, « conteram, » vel disperdam « civitates tuas, » idololatrias scilicet, in quibus sunt idola et luci, uti processit; quaeque idolis sunt consecrata, uti Dan et Bethel consecrate erant vitulis aureis, Delphi Apollini, Heliopoli Soli. Aliae ergo sunt haec civitates ab illis, de quibus dixit *vers. 11:* « Et perdam civitates terre tuae; » ibi enim per civitates intelligit munitiones et arcus, quibus praesidebant gentiles, q. d. Auferam tibi munitiones, arma, omniaque praesidia humana, quibus confidere soles, ut uni Deo fidere et inniti discas. Hic vero civitates diis vel idolis consecratae intelligit. Porro contrivit Deus civitates, cum per Apostolos effecti ut desinerent esse gentiles, et inciperent esse christianae, ut jam viverent Christo, quae antea vixerant Veneri, Jovi et Baccho, uti dixi *vers. 9.* Pulchre S. Hieronymus: « Disperdam, ait, civitates terre tuae. Non enim edificasti urbem, quam laetificat impetus fluminis Dei, *Psal. xxv.* et quae in montibus sita est, et caelestem Jerusalem; sed quam edificaverat Cain, *Genes. iv.* Unde et dicuntur civitates terrae, operibus terrenis extructae. »

14. ET FACIAM IN FURORE ET IN INDIGNATIONE UL- TIONEM IN OMNIBUS GENTIBUS, QUAE NON ADIERUNT. — Chaldaeus, *quae non receperunt doctrinam legis,* q. d. Eos qui audire, id est credere et obedire noluerint Evangelio, nec scire et puniam. Ita Judaeos Christi contemptores et homicidas ultus est, et ad interfectionem delevit per Titum et Vespasianum. Idem fecit subinde variis gentibus, quae praedicatoribus Evangelii exploserunt et occiderunt; sed omnibus idipsum faciet in die judicii: « In flamma ignis dantis vindictam iis qui non moverunt Deum, et qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi, » ut ait Apostolus, *II Thessal. i. 8.*

Porro Judaei haec omnia a vers. 8 hucusque referunt ad suum Messiam, quem ipsi expectant in fine mundi; postquam septem quos fingunt et quos volunt pastores, et octo principes homines Assyrium vicierint; tunc enim veniente Christo, Judaeos fore in benedictione, robore et gloria, ut quasi leones omnes gentes sternant et subigant. Verum « respondeat carnes Israel, ait S. Hieronymus, quae tunc de Israel idola auferentur, quae modo non colli? qui succidentur luci, quos non habet? quae urbes subruentur, quae olim su-

Indeo.
tunc ve-
mus Mes-
sias.

brute sunt? qui tollentur arioli, quos cum non habeat, nec habere se gloriatur, tamen tanto tempore derelicta est filia Sion, et sedet sine altari, et sine sacerdotibus; et aliis fruges eorum comedentibus, ipsi siccis faucibus, sibi futura promittunt, quae nesciunt. »

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Redit Propheta a Bethlehem, Christo et Apostolis ad sua tempora; ac cum Judaeis sui aevi, patheticis nominis Dei disceptat et expostulat: Popule meus, inquit, quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? Deinde beneficia multa et grandia eis a se collata recenset, ut ostendat eorum summanam ingratitude, quod a Deo ad idola et scelera desciverint. Moa, vers. 6, iis postulantis quia ratione Deum sibi reconciliare possint, respondet vers. 8, dicens: Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te: utique facere iudicium et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo. Tertio, vers. 9, horribilem Dei vocem et minas eis intonat, ob eorum iniquas mensuras et pondera, similesque fraudes et dolos, quibus exultabant pauperes; quapropter minatur eis egestatem, excidium, captivitatem et opprobrium. S. Hieronymus, Remigius et Hugo putant Prophetam haec loqui ad Israel, id est, ad decem tribus, quia vers. 16, meminit Amri et Achab regum Israel. Malitius Theodoretus, Vatablus et Arias censent haec dici Judaeis, sive duabus tribubus. Videtur enim haec Propheta vaticinatus sub Ezechia, post excidium decem tribuum, uti dicit cap. 11, 12, cum sola duae tribus in Iudaea remanebant (1).

1. Audite quae Dominus loquitur: Surge, contende iudicio adversum montes, et audiant colles vocem tuam. 2. Audiant montes iudicium Domini, et fortia fundamenta terrae: quia iudicium Domini cum populo suo, et cum Israel dijudicabitur. 3. Popule meus, quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? responde mihi. 4. Quia eduxi te de terra Aegypti, et de domo servientium liberavi te: et misi ante faciem tuam Moysen, et Aaron? 5. Popule meus, memento quaso quid cogitaverit Balach rex Moab, et quid responderit ei Balaam filius Beor de Setim usque ad Galgala, ut cognosceres justitias Domini. 6. Quid dignum offeram Domino? curvabo genu Deo excelso? numquid offeram ei holocaustomata et vitulos amniculos? 7. Numquid placari potest Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium? Numquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, fructum ventris mei pro peccato animae meae? 8. Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te: Utique facere iudicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo. 9. Vox Domini ad civitatem clamat, et salus erit timentibus nomen tuum: Audite, tribus, et quis approbabit illud? 10. Adhuc ignis in domo impii thesauri iniquitatis, et mensura minor irae plena. 11. Numquid justificabo stateram impiam, et saccelli pondera dolosa. 12. In quibus divites ejus repleti sunt iniquitate, et habitantes in ea loquebantur mendacium, et lingua eorum fraudulenta in ore eorum. 13. Et ego ergo coepi percutere te perditione super peccatis tuis. 14. Tu comedes, et non saturaberis: et humiliatio tua in medio tui: et apprehendes, et non salvabis: et quos salvaveris, in gladium dabo. 15. Tu seminabis, et non metes: tu calcabis olivam, et non ungeris oleo; et mustum, et non bibes vinum. 16. Et custodisti praecepta Amri, et omne opus domus Achab, et ambulasti in voluntatibus eorum, ut darem te in perditionem, et habitantes in ea in sibilum: et opprobrium populi mei portabitis.

(1) Pars haec tertia Michaeae vaticiniorum continet (cap. vi, vn) prophetiam veluti mixtam ex legali continentione, et ex evangelica consuetudine constantem. Excitata Hebraeorum attentione ad iudicia Dei audientia, 1, 2; contentio legis suscipitur primo, per institutionem oburgatoriam qua, primo, Propheta convincit populum tum ingratitude, pro beneficiis olim sub exitu ex Aegypto collatis, 3, 4; tum oblivionis documentorum de Dei iudicis datorum, 5; secundo, inducit Propheta populum hoc Dei iudicio justo compunctum deliberantem

vers. 1. 4. ADITE (o Iudaei, o Hierosolymite) quae Dominus loquitur (ad me Michaeam, ut eadem vobis referam et annuntiem. Dicit ergo mihi Deus): Surge, contende. — Jubeat hic Deus Michaeam ut suo nomine contendat et disceptet cum Judaeis, eosque de sceleribus arguat. Paret jubeat Deo Propheta vers. 2, dicens: « Audiant montes iudicium Domini. » Simili modo contendit Deus cum Israele per Jeremiam, cap. 11, 9, dicens: « Propterea adhuc iudicio contendam vobiscum, ait Dominus, et cum filiis vestris disceptabo. Transite ad insulas Cethim, etc., et videte si factum est huiusmodi. »

CONTENDE IUDICIO ADVERSUS MONTES, ET AUDIANT COLLES VOCEM TUAM. — Hebraeus: *Litiga cum montibus*; Septuaginta: *Judicare ad montes*; Pagninus: *Ostende iudicium montibus*. Unde a Castro censet hic citari montes tanquam testes, non tanquam reos; rei enim sunt Israelite. Verum melius Noster verit: « Contende iudicio adversum montes, » tum quia hebraeus מִן הַרִים, quando constructur cum אֵלֶיךָ, quod Latini vertunt, *litigare cum aliquo*, Hebraeis, aeque ac Latinis idem est quod litigare adversus aliquem; tum quia sic majus est orationis pondus et energia, ut jam ostendam. Citantur ergo hic montes ut rei, eo quod in montibus erecta fuerint et culta idola: licet enim proprie populus sit reus, tamen quia is durus et rebellis volebat audire Prophetas, et per eos item et iudicium Domini, hinc ad pathos citantur montes, in quibus populus peccaverat, q. d. Vos, o montes insensibiles, magis sensatis estis quam sensibiles Israelite; vos enim sentitis vocem et jussum Dei creatoris vestri, etque obediunt; quem illi non sentiunt. Vos ergo cito, ut incolas vestros, qui rei sunt, representetis; ut ipsi per vos audiant et cognoscant justam meam litem, actionem et querelam, et sequere reos fateantur, poniteant, et veniam petant. Est prosopopoeia: *montes enim hic induuntur quasi personae viva et rationales*; quia ipsi per aras et idola, perque victimarum sanguinem, ossa et cineres quae in ipsis exsiliabant, muta sed clara voce loquebantur Judaeorum idololatriam et scelera, ac consequenter justam Dei contra eos esse actionem et expostulationem. In hac ergo lite Deus est actor, Iudaei cum montibus totaque Iudaea sunt rei, pro eo est

secum, quo sacrificii genere, aut quo obsequio iratum sibi conciliet. Cui respondet Propheta docens necessarias verae justitiae partes ac conditiones, 8.

Secundo, per actionem veluti iudicalem, seu per reprehensionem scelerum, in qua primo, evocat ad audiendam Dei vocem ut nemo ignorantia se excusare possit, 9; secundo, causas paratae afflictionis commemorat, seu crimina iniquae alienorum possessionis, 10; iniustitiae in pondere et mensura, 11; rapinae et fraudulentiae, 12; tertio, denuntiat penas partim praesentes, 13, partim istantes: scilicet interitum hominum, 14; spoliationem horum, 15; excidium conjunctum cum ignominia Dei tantum ob mores corruptissimos, sed etiam ob defectuam obstinatam a Deo ad idola colenda, 16.

Micheas, iudices sunt angeli et homines; imo ipsimet rei, qui audita tam justa Dei beneficentissimi querela, non possunt non ipsi causam ad iudicare, et seipso ingratitude condennare. Ita Theodoretus, Arias et Clarus. Simili prosopopoeia terram Iudeorum citat et inclamat Jeremias, cap. xxii, 29: « Terra, ait, terra, ait, sermonem Domini. » Et Isaias, cap. 1, 2, citat caelos et terram: « Audite, inquit, caeli, et auribus percipite, terra, quoniam Dominus locutus est. »

Symbolice, per *montes et colles* Propheta intelligit principes et magistratus, qui in populo eminebant, sicut montes in terra, de quibus Habacuc cap. iii, 6: Dissolvit gentes, et contriti sunt montes saeculi; et in *Psalm.* lxxi, 3: « Suscipiant montes pacem populo, et colles justitiam, » silem sunt « fundamenta terrae; » quia populum sustentant quasi fundamenta. Quocirca rex graecae dicitur *basileus*, quod sit quasi basis populi; et hebraice *adon*, id est dominus, dicitur ab אֲדֹנָי *eden*, id est basis. Ita S. Hieronymus, Haymo, Remigius, Lyranus et Vatablus. Iluc pertinet versio Chaldaei, qui per montes intelligit patres, per colles matres Iudeorum: *Contende*, inquit, cum patribus, et audiant matres vocem tuam. Unde S. Hieronymus per *montes* accipit Abraham, Isaac, Jacob et viros sanctos, qui posteris debebant esse regula vitae, et stimulus virtutis, ut appareat quam hi ab illis fuerint degeneres, quos in hoc iudicio parentum pietas et religio condennant. Quocirca viri sapientes docent nihil esse quod magis desidiam excutiat, stimulumque ead omnem virtutem, quam sibi jugiter ob oculos ponere viros sanctos, praesertim sui status et ordinis, qui strennam Deo et virtuti navarunt operam. Id quisque experitur in se, scilicet cum patrum, vel sanctorum quos colit et amat, heroica facta recogitat, mirifico se ad eadem imitanda excitari: « A bove majori discit arare minor. » Aureum est haec de re praecipuum Seneca, lib. I, *epist.* 11: « Aliquis vir bonus eligendus est, ac semper ante oculos habendus, ut sic tanquam illo spectante vivamus, et omnia tanquam illo vidente faciamus. Hoc, mi Lucili, Epicurus praecipit, custodem nobis et paedagogum dedit; nec immerito. Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat. Aliquem habeat animus quem vereatur, cujus auctoritate etiam secretum suum sanctus faciat. O felicem illum, qui non actus tantum, sed etiam cogitatus emendat! O felicem, qui sic aliquem vereri potest, ut ad memoriam quoque ejus se componat atque ordinet! Qui sic aliquem vereri potest, cito erit verendus. Elige itaque Catonem: si hic videtur tibi nimis rigidus, elige remissioris animi virum Lelium; elige eum cujus tibi placuit et vita, et oratio: et ipsis animum ante te ferens et vultum, illum semper tibi ostende, vel custodem, vel exemplum. Opus est, inquam, aliquo ad quem mores nostri seipsi erigant. Nisi ad regulam, prava non